Ausschnitt aus der Zeitschrift „České Museum filologické" (Böhmisches Museum für Philologie), redigiert von Prof. Dr. Joh. Kvíčala in Prag (VII. Jahrgang).

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

Adnotationes criticae ad Euripidis fragmenta.

Scripsit **Ioannes Kvíčala.**

Fragmentum 4 N.

Stobaeus in Flor. 73, 14 affert hos Euripidis versus:

πέφυκε γάρ πως παισὶ πολέμιος γυνὴ
τοῖς πρόσθεν ἡ ζυγεῖσα δευτέρα πατρί.

Pro πατρί, quod Stobaei codices MA exhibent et codicis S prima manus, scribendum esse puto δάμαρ aut potius πόσει, quod manu secunda in codice Vindobonensi (S) scriptum exstat. Hanc lectionem iam Elmsley commendavit ad Eur. Med. pag. 66. Nauckius (Trag. graec. fragm. ed. II, pag. 364) se δευτέρῳ γάμῳ malle dixit; sed si πόσει genuinam lectionem esse putamus, corruptelae πατρί origo faciliorem habet explicationem.

Fragmentum 25 N.

φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ὄχλος
καὶ σχῆμ', ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα·
νοῦς δ' οὐκ ἔνεστιν, οἰόμεσθα δ' εὖ φρονεῖν.

Pro ὄχλος Valckenarius coniecit λόγος, Hirzelius ψόφος, quam coniecturam Nauckius (Trag. gr. fr. ed. II.) in textum recepit. Quae coniecturae quamquam aptum sensum exhibent, tamen, si litterarum ductus rationem habemus, non videntur esse verisimiles. Equidem conicio ὄτλος, ut a e r u m n o s a senectus significetur.

Fragmentum 23 N.

ἀλλ' ἦ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.

Scribendum est: ἀλλ' ἦ τὸ γῆρας τ. Κ. χ. ἐᾷ.

Fragmentum 46 N.

ὥστ' οὔτις ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ' εὐδαιμονεῖ.

Quamquam talem sententiarum nexum animo fingere possumus, ut enunciatio c o n s e c u t i v a apte sequatur*), tamen poetam scripsisse potius puto:

*) Exemplum affero: Poeta poterat aerumnas et calamitates vitae humanae atque fortunae mutationes exponere, et deinde addere: ὥστε οὔτις ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ' εὐδαιμονεῖ.

ὡς οὔτις ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ᾽ εὐδαιμονεῖ.

Praecedebat fortasse admonitio, ne homines fortuna imprudenter superbiant; nemo enim (ὡς = γάρ) in omnibus rebus prospera fortuna utitur.

Fragmentum 73 N. (72 Trag. gr. fr.)

χαῖρ᾽. ὦ γεραιέ, τήν τε παῖδ᾽ ἢν δῷς ἐμοί,
γαμβρὸς νομίζει καὶ πατὴρ σωτήρ τ᾽ ἐμός.

Photii lectionem παῖδα μὴ δῷς et Suidae παῖδα μὴ δούς Grotius emendavit, quam coniecturam (παῖδ᾽ ἢν δῷς) Nauckius in textum recepit, sed in adnotatione se παῖδ᾽ ἐκδοὺς malle profitetur. Hanc lectionem postea (in II. ed. Trag. gr. fr.) in textum recepit. Potest etiam παῖδ᾽ ἐνδούς proponi.

In versu secundo Nauckius pro νομίζει scribendum esse suspicatur νομίζου. Iure ei indicativus praesentis νομίζει displicuit; etenim cum protasis τήν τε παῖδ᾽ ἢν δῷς ἐμοί (vel participium ἐκδούς, ἐνδούς) ad f u t u r u m t e m p u s referatur necdum Phegeus filiam Alcmaeoni in matrimonium dedit, Alcmaeo dicere non poterat, se Phegeum i a m (νομίζει) socerum suum et patrem et servatorem esse putare.

Invenitur quidem interdum pro futuro praesens (veluti in Eur. Androm. 381 ἢν θάνῃς σύ, παῖς ὅδ᾽ ἐ κ φ ε ύ γ ε ι μόρον, σοῦ δ᾽ οὐ θελούσης κατθανεῖν, τόνδε κτενῶ), sed tamen huius modi exempla mihi ad defendendam librorum lectionem non videntur satis apta esse. Sed etiam Nauckii coniecturam νομίζου improbo.

Quia futuri temporis notionem hoc loco unice aptam et plane necessariam esse puto, hanc coniecturam propono

γαμβρὸς ν ο μ ι σ θ ε ὶ ς καὶ πατὴρ σωτήρ τ᾽ ἔ σ ε ι.

Νομισθεὶς ἔσει = νομισθήσει. Cf. Eur. Cycl. 381 πῶς . . . ἦτε πάσχοντες τάδε; Soph. Ant. 1067 νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει. Soph. Ai. 588 μὴ προδοὺς ἡμᾶς γένῃ. Oed. R. 957 αὐτός μοι σὺ σημήνας γενοῦ.

Constructione νομισθεὶς ἔσει Euripides usus est, quia νομιεῖ (qua forma Hippocrates p a s s i v o sensu usus est) metro repugnabat, νομισθήσει autem apud poetas inusitatum erat.

Similiter etiam participium cum verbo ὑπάρχειν coniungitur.

Fragmentum 75 (74) N.

φίλαι φίλαι,
πρόβατε, μόλε τις ὧδε· ποδαπὸς ὁ ξένος
Κορίνθιος ἔμολεν ἀγχίαλος;

In Anecdotis Paris. vol. I. pag. 20 legitur: πάροδος δέ ἐστιν ᾠδὴ χοροῦ γινομένη ἅμα τῇ εἰσόδῳ, ὥσπερ ἐν Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Κορίνθου κτλ.

Iam G. Hermannus scribendum esse Κορινθίοις vidit; nam si hospes dicitur Κορίνθιος, chori interrogatio ποδαπός mira vel potius plane inepta est. Accedit, quod hospes, qui ad Corinthios venit, Alcmaeo est, qui Argivus appellandus erat, non Corinthius. Sed etiam pro ἀγχίαλος scribendum est ἀγχιάλοις, quod iam Od. Muellerus coniecit. Cum verborum constructione ὁ ξένος Κορινθίοις ἔμολεν conferas Thuc. I, 13 Ἀμεινοκλῆς Σαμίοις ἦλθε.

Fragmentum 114 N.

Ὦ νὺξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ᾽
αἰθέρος ἱερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι᾽ Ὀλύμπου

In versu tertio ἀστεροειδέα vitiosum esse Nauckio assentior. Vitium tollitur emendatione ἀστερόεν διὰ. Verba construenda sunt: ὡς μακρὸν ἵππευμα ἀστερόεν διώκεις διφρεύουσα διὰ νῶτα αἰθέρος ἱερᾶς. Cum constructione διφρεύειν διὰ νῶτα αἰθέρος ἱερᾶς comparare licet Eur. Hipp. 753 διὰ πόντιον κῦμ᾽ ἁλίκτυπον ἐπόρευσας ἐμὰν ἄνασσαν, Aesch. Suppl. 15 φεύγειν ἀνέδην διὰ κῦμ᾽ ἅλιον. — Exempla asyndeti (μακρόν, ἀστερόεν) apud poetas inde ab Homeri aetate haud raro inveniuntur. Cf. Eur. Hec. 425 ὦ τῆς ἀώρου θύγατερ ἀθλίας τύχης, Hipp. 668 τάλανες ὦ κακοτυχεῖς γυναικῶν πότμοι. Soph. Trach. 770 φοινίας ἐχθρᾶς ἐχίδνης.

Verba τοῦ σεμνοτάτου δι᾽ Ὀλύμπου corrupta esse puto; nisi forte Ὀλύμπου pro οὐρανοῦ positum est.

Fragmentum 132 sqq. (136 sqq.) N.

σὺ δ᾽ ὦ τύραννε θεῶν τε κἀνθρώπων Ἔρως,
ἢ μὴ δίδασκε τὰ καλὰ φαίνεσθαι καλά,
ἢ τοῖς ἐρῶσιν εὐτυχῶς συνεκπόνει
μοχθοῦσι μόχθους ὧν σὺ δημιουργὸς εἶ.
καὶ ταῦτα μὲν δρῶν τίμιος θεοῖς ἔσει,
μὴ δρῶν δ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ διδάσκεσθαι φιλεῖν
ἀφαιρεθήσει χάριτας αἷς τιμῶσί σε.

Athenaeus XIII, 561 B iu tertio versu εὐτυχῶς συνεκπόνει, Stobaeus Flor. 64. 6 εὐμενὴς παρίστασο. Haec insignis lectionis varietas documento est, grammaticos posteriore aetate genuina antiquorum scriptorum verba immutasse, dum-

modo totius loci sententia servaretur. Grammatici aut memoriter versus laudantes erraverunt, aut consulto verba, quae minus apta esse videbantur, emendare conati sunt. Nostro loco fortasse sensum verborum εὐτυχῶς συνεκπόνει (= συνεκπόνει σὺν εὐτυχίᾳ = συνεκπόνει, ὥστε αὐτῶν τοὺς πόνους εὐτυχεῖς φαίνεσθαι) non perspexerunt et lectionem faciliorem εὐμενὴς παρίστασο proposuerunt.

Lectionem Athenaei εὐτυχῶς συνεκπόνει multo aptiorem et graviorem esse luculente demonstrant verba, quae sequuntur, μοχθοῦσι μόχθους ὧν σὺ δημιουργὸς εἶ. Accedit etiam, quod nemo unquam pro verbis εὐμενὴς παρίστασο sane facilibus, si genuina essent, lectionem difficiliorem εὐτυχῶς συνεκπόνει proposuisset.

In quinto huius fragmenti versu Dobraeus pro θεοῖς coniecit θεῶν. Librorum lectionem θεοῖς propterea improbavit, quod hoc loco non de deorum iudicio de Amore agitur, sed potius de hominum iudicio. Sed Dobraei coniectura huius loci difficultatem non tollit. Scribendum esse puto:

καὶ ταῦτα μὲν δρῶν τίμιος θεός τ' ἔσει.

Is, qui hos versus pronunciavit, se Amorem deum esse negavit, si eis, qui eo ipso auctore aerumnas subeant (μοχθοῦσι μόχθους ὧν σὺ δημιουργὸς εἶ), opem non ferat. Si igitur Amor deus et esse et haberi cupit, amantibus, qui ei obtemperarunt, eum auxiliari oportet.

Ceterum verba ὑπ' αὐτοῦ τοῦ διδάσκεσθαι φιλεῖν mihi suspecta videntur.

Fragmentum 142 (141) N.

ἐγὼ δὲ παῖδας οὐκ ἐῶ νόθους λαβεῖν·
τῶν γνησίων γὰρ οὐδὲν ὄντες ἐνδεεῖς
νόμῳ νοσοῦσιν· ὅ σε φυλάξασθαι χρεών.

Gomperzius pro λαβεῖν coniecit λέγειν, ex qua coniectura apparet, eum primi versus sententiam recte perspexisse; sed difficile est credere, ex lectione λέγειν ortam esse corruptelam λαβεῖν; oriri autem potuit haec corruptela e genuina lectione λακεῖν, quo verbo Euripides saepius usus est.

Fragmentum 149 (150) N.

οὐκ ἔστιν ὅστις εὐτυχὴς ἔφυ βροτῶν,
ὃν μὴ τὸ θεῖον ὡς τὰ πολλὰ συνθέλει.

Librorum lectio nullo alio modo explicari potest nisi οὐκ ἔστιν ὅστις εὐτυχὴς ἔφυ βροτῶν, ὃν μὴ τὸ θεῖον ὡς τὰ πολλὰ

συνθέλει εὐτυχῆ φῦναι. Sed haec constructio perquam dura atque inelegans esse videtur. Heimsoethii coniectura ὃν μὴ τὸ θεῖον ὡς τὰ πόλλ' ἐπωφελεῖ sensum quidem rectum exhibet, sed a litteris συνθέλει nimis recedit. Facillima mutatio videtur esse ᾧ μὴ τὸ θεῖον ὡς τὰ πολλὰ συντελεῖ; verbum συντελεῖν sensu „conferre ad aliquid conficiendum, opem ferre, utilem esse" apud scriptores posterioris aetatis, velut apud Lucianum, saepius invenitur; sed etiam Alexis hoc verbo eodem sensu usus est in fragmento apud Plutarchum de aud. poet. 4 servato.

Sed συντελεῖ etiam explicari potest συμπράσσειν, συμπονεῖν, συνεργάζεσθαί τινι, quae verba saepe laboris communitatem, ideoque etiam auxiliandi studium significant. Cf. Eur. Iph. T. 980 ἥνπερ ἡμῖν ὥρισεν σωτηρίαν, σύμπραξον. Soph. Ai. 1371 τὰ δ' ἄλλα καὶ σύμπρασσε. Eur. El. 974 συμπόνει πατρί, Hec. 862 θέλοντά μ' ἔχεις σοὶ ξυμπονῆσαι. Soph. Ant. 41 εἰ ξυμπονήσεις καὶ ξυνεργάσει, σκόπει.

Fragmentum 162 N.

ἀνδρὸς δ' ὁρῶντος εἰς Κύπριν νεανίου
ἀφύλακτος ἡ τήρησις, ὡς κἂν φαῦλος ᾖ
τἄλλ', εἰς ἔρωτα πᾶς ἀνὴρ σοφώτερος·
ἣν δ' ἂν προσῆται Κύπρις, ἥδιστον λαβεῖν.

Non audeo emendationem totius huius loci proponere; hoc tantum dico, pro δ' ὁρῶντος scribendum esse δ' ἐρῶντος. In quarto versu corrupta verba ἣν δ' ἂν προσῆται Κύπρις fortasse emendari possunt ᾧ δ' ἂν προσῇ τοι Κύπρις.

Fragmentum 234 (232) N.

ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἀρετὴ τῶν εὐγενῶν
ἔλαμψε, κρεῖσσόν τ' ἐστὶ πλουσίου γάμου
γένος· πένης γὰρ οὐκ ἐκεῖν' ἀπώλεσεν
τὸ τοῦ πατρὸς γενναῖον.

Γένος in tertio versu Nauckius addidit. Mihi vero hi versus potius deletis verbis τὸ τοῦ quam additamento γένος emendandi esse videntur:

ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἀρετὴ τῶν εὐγενῶν
ἔλαμψε, κρείσσων τ' ἐστὶ πλουσίου γάμου·
πένης γὰρ οὐκ ἐκεῖν' ἀπώλεσεν, πατρὸς
γενναῖον.

Fragmentum 239 (237) N.

νεανίαν γὰρ ἄνδρα χρὴ τολμᾶν ἀεί·
οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥᾴθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ,
ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν.

Pro εὐδοξίαν Nauckius variam lectionem εὐανδρίαν recepit, sed postea (1889) εὐδοξίαν scripsit, idque iure; nam εὐανδρίαν (virtutem) sensui repugnat.

Iuvenem semper audere oportet. Cur? Quia nemo ignavus gloriam assequitur (εὐκλεής); sed labores pariunt gloriam (τὴν εὐδοξίαν).

Sententia „labores pariunt virtutem" alio loco et in alio verborum contextu accommodata esse potest; nam negari non potest, laboribus animum fortem et strenuum reddi et fortitudinem strenuitatemque nasci et augeri. Sed hoc loco non agitur de parienda fortitudine, sed de parienda gloria; verba εὐκλεὴς ἀνήρ necessario requirunt et prorsus flagitant τὴν εὐδοξίαν. Cf. fragm. 242 τίς δ' ἄμοχθος εὐκλεής; 1038 σὺν τοῖσι δεινοῖς αὔξεται κλέος βροτοῖς.

Fragmentum 264 (262) N.

πάλαι σκοποῦμαι τὰς τύχας τῶν βροτῶν
ὡς εὖ μεταλλάσσουσιν· ὃς γὰρ ἂν σφαλῇ
εἰς ὀρθὸν ἔστη χὠ πρὶν εὐτυχῶν πίτνει.

In primo versu metri vitium Hense tollere conatus est coniectura τὰς ἐφημέρων τύχας. Sed in arte critica magni est momenti norma probabilitatis; probabilem vero talem coniecturam esse nego.

Qui hanc coniecturam defendunt, dicunt, rariorem locutionem ἐφημέρων expulsam esse usitata locutione τῶν βροτῶν; sed si Euripides hoc loco homines vocabulo ἐφήμεροι notare voluit, dicere debebat πάλαι σκοποῦμαι τῶν ἐφημέρων τύχας, quia ἐφημέρων sine articulo grammaticae legi repugnat. Nauckius olim metri vitium tollere conatus est coniectura τὰς τύχας ἐγὼ βρότων, quam postea ipse improbasse videtur. Ego locum iam a Gaisfordio sanatum esse existimo recepta codicis B lectione τὰς τύχας τὰς τῶν βροτῶν.

Librorum lectionem ὡς εὖ μεταλλάσσουσιν improbarunt Herwerdenus et Hense. Ille coniecit ὅσον μεταλλάσσουσιν, hic ὡς θεοὶ (— —) μεταλλάσσουσιν. Possunt etiam multae aliae coniecturae excogitari, velut ὡς οὖν μεταλλάσσουσιν; sed ego librorum lectionem sanam et genuinam esse puto. Poeta consulto rerum adversarum et secundarum vicissitudinem bonam esse declarat, quia sortis inconstantia multis quidem

hominibus tristis est, sed aliis spem et solatium praebet. Homines adversa fortuna afflicti meliora sperare possunt atque hac spe eriguntur. Bene igitur natura constitutus est rerum humanarum quidam orbis, de quo praeclare Herodotus dixit I, 207 κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν, quibus verbis eodem iure addi potest, hunc rerum humanarum orbem se vertentem ex altera parte non sinere αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς δυστυχέειν. De hac rerum adversarum prospera mutatione poeta in versibus, qui nobis servati sunt, loquitur. Puto enim hos versus prolatos esse a quadam tragoediae persona eo consilio, ut homini calamitatibus afflicto solatio sint.*) Itaque tantum verba ὃς γὰρ ἂν σφαλῇ, εἰς ὀρθὸν ἔστη ad rem ipsam, de qua hoc loco agebatur, pertinebant;**) verum saepe proverbium totum atque integrum affertur, quamquam tantum alterutra proverbii vel sententiae pars ad rem ipsam pertinet; velut in Sophoclis Aiace Minerva Ulixi dicit

τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν ὑπέρκοπον
μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
μηδ᾽ ὄγκον ἄρῃ μηδέν᾽, εἴ τινος πλέον
ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει·
ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
ἅπαντα τἀνθρώπεια

Ad confirmandam adhortationem μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος μηδ᾽ ὄγκον ἄρῃ μ. tantum verba ὡς ἡμέρα κλίνει ἅπαντα τἀνθρώπεια pertinent, non autem κἀνάγει πάλιν; nihilominus poeta totam sententiam affert. — Eodem modo in Sophoclis Aiace chorus dicit

καίτοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς
σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται·

---

*) Similis est sententia in Euripidis fragmento 174 N: μὴ οὖν ἔθελε λυπεῖν σαυτὸν εἰδὼς ὅτι | πολλάκι τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγει | καὶ τὸ κακὸν ἀγαθοῦ γίγνεται παραίτιον, vel in Menandri versibus a Stobaeo (Floril. 107, 48) servatis ὥστε μηδεὶς πρὸς θεῶν | πράττων κακῶς λίαν ἀθυμήσῃ ποτέ· | ἴσως γὰρ ἀγαθοῦ τοῦτο πρόφασις γίγνεται. Maxime autem apud Horatium huius sententiae et consolationis exempla inveniuntur, velnt Carm. II, 9, 1 sqq. Non semper imbres nubibus hispidos | manant in agros cet., vel Carm. II, 10, 13 sqq. sperat infestis, metuit secundis | alteram sorte bene praeparatum | pectus, 17 sq. non, si male nunc, et olim sic erit, cf. Theocr. IV, 44 sqq. θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε· τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον· χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει.

**) De hac rerum adversarum mutatione apte dici potuisse εὖ μεταλλάσσουσιν αἱ τύχαι, certum est. Sed etiam de rerum secundarum mutatione in adversas recte dici potest εὖ μεταλλάσσουσιν αἱ τύχαι, si homines mali atque improbi prospera fortuna utuntur.

μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν
καὶ μέγας ὀρθοῖθ' ὑπὸ μικροτέρων

Verbis καὶ μέγας — μικροτέρων in hoc sententiarum nexu non est opus.

Verbi μεταλλάσσειν usus intransitivus rarus quidem est,*) sed aliae verbi ἀλλάσσειν compositae formae saepius intransitivum sensum habent, ut ἀπαλλάσσειν, διαλλάσσειν, ἐπαλλάσσειν; itaque non est opus Hensii coniectura ὡς θεοί, ut transitiva verbi μεταλλάσσειν notio efficiatur.

Fragmentum 269 (267) N.

δεινὴ πόλις νοσοῦσ' ἀνευρίσκειν κακά.

Hanc librorum lectionem apto sensu carentem improbo; nam quid sibi volunt haec verba „urbs aegrotans potens est ad iuvenienda mala (valde scit invenire mala)“? Plane contrarius sensus exspectatur: urbs aegrotans sollers est ad invenienda malorum remedia“; legendum igitur censeo

δεινὴ πόλις νοσοῦσ' ἀνευρίσκειν ἄ κ η.

Δεινός hoc loco, ut innumeris aliis, sollertiam significat; dicit igitur poeta, urbem morbo laborantem sollertem esse in remediis excogitandis. Πόλις νοσοῦσα est Tegea, quae pestilentia vexabatur propter stuprum, quod Auge, Minervae sacerdos, commisit. De qua re cf. Apollodori narrationem II, 7, 4 παριὼν δὲ Τεγέαν Ἡρακλῆς τὴν Αὔγην Ἀλεοῦ θυγατέρα οὖσαν ἀγνοῶν ἔφθειρεν. ἡ δὲ τεκοῦσα κρύφα τὸ βρέφος κατέθετο ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς. λ ο ι μ ῷ δ ὲ τ ῆ ς χ ώ ρ α ς φ θ ε ι ρ ο μ έ ν η ς (his verbis locutio πόλις νοσοῦσα explicatur) Ἀλεὸς εἰσελθὼν καὶ ἐρευνήσας εἰς τὸ τέμενος τὰς τῆς θυγατρὸς ὠδῖνας εὗρε. Deinde III, 9, 1 Αὔγη μὲν οὖν ὑφ' Ἡρακλέους φθαρεῖσα κατέκρυψε τὸ βρέφος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, ἧς εἶχε τὴν ἱερωσύνην. ἀ κ ά ρ π ο υ δ ὲ τ ῆ ς γ ῆ ς μ ε ν ο ύ σ η ς καὶ μηνυόντων τῶν χρησμῶν εἶναί τι ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς δυσσέβημα, φωραθεῖσα ὑπὸ τοῦ πατρὸς παρεδόθη Ναυπλίῳ ἐπὶ θανάτῳ.

Fragmentum 271 (269) N.

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν
καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Horum versuum inanis et inutilis verbositas plane in-

*) Herod. II, 77 οὐ μεταλλάσσουσι αἱ ὧραι.

tolerabilis est. Amorem magnum vel potius maximum omnium deum esse ter dicitur (in versu primo θεὸν μέγαν, in versu secundo τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον, in versu quarto τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. — Meinekii coniectura ad quartum versum prolata οὐκ οἶδεν ὄνθ' ἥδιστον ἀνθρώποις θεόν inutilis est medela; nam de suavitate Amoris hoc loco loqui plane alienum est.

Duplici modo hic locus sanari potest; aut quartus, aut secundus versus delendus est. Alteram emendationem verisimiliorem esse puto. Si quartum versum delemus, in tertio versu ὤν mutandum est, quod suspicionem movet. Optime autem oratio procedit hoc modo:

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν
οὐκ οἶδε (ignorat) τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Versus secundus mirus esse videtur; quomodo enim in eadem sententia positivus gradus μέγαν et superlativus ὑπέρτατον poni potest? Si poeta Amorem summum (ὑπέρτατον) omnium deorum appellat, cur eum magnum esse iudicat? Talis sententiarum nexus ferri potest tantummodo, si oratio hoc modo conformata esset: „Qui Amorem non magnum deum, immo potius summum deorum omnium esse iudicat, aut cet.“ Sed nuda coniunctio καί non sufficit.

Deleto secundo versu hic nascitur sensus: „Quicunque Amorem non iudicat magnum deum, aut scaevus est aut rerum pulchrarum imperitus atque hanc ob causam, i. e. propter rerum pulchrarum imperitiam ignorat maximum hominibus deum (i. e. deum summum hominum regnatorem).“

Huic meae sententiae adversari videtur Ciceronis locus Tusc. IV, 32, 68. Cicero enim dicit: „Quem Caecilius

deum qui non summum putet,
aut stultum aut rerum esse imperitum

existimat.“ Verba Caecilii deum qui non summum putet, dixerit quispiam, declarant, Caecilium respicere verba δαιμόνων ὑπέρτατον, itaque Caecilius hunc versum in suo exemplari legit. Sed Caecilii imitatio, si quidem Caecilius Euripidem, ac non potius Menandrum imitatus est, non est accurata; omissum ἁπάντων, omissum etiam, id quod maioris momenti est, καλῶν. Ceterum potius assentior Davisio affirmanti, Caecilium non Euripidem ob oculos habuisse, sed Menandrum, cuius Συναριστώσας in linguam latinam converterat. Menander Euripidem imitatus est, Menandrum Caecilius.

Fragmentum 287 (285) N.

In tertio versu Nauckius Piersoni coniecturam ἐγκρινῶ recepit:

τρισσῶν δὲ μοιρῶν ἐγκρινῶ νικᾶν μίαν.

Sed ἐγκρίνειν „in numerum recipere“ (cf. Plat. Rep. VII, 537 B εἰς ἀριθμόν τινα ἐγκριτέον) huic loco non convenit. Legendum potius ἐκκρινῶ. Ἐκκρίνειν „eligere“ praegnante sensu positum est „eligentem existimare“; hinc constructio accusativi cum infinitivo, a notione existimandi dependens explicanda est.

Fragmentum 290 (288) N.

δόλοι δὲ καὶ σκοτεινὰ μηχανήματα
χρείας ἀνάνδρου φάρμαχ᾽ εὕρηται βροτοῖς.

Recte Nauckius χρείας suspectum esse dixit. Legendum est χρέους ἀνάνδρου. Sensus autem est: „Dolos homines excogitaverunt remedia (i. e. auxilia) operis ignavi.“ Homines, qui fortitudine carentes opus adgrediuntur, dolorum et occultarum machinarum auxilio utuntur, ut opus perficiant. Χρέος hoc loco, ut saepissime, negotium, opus significat; ἄνανδρον χρέος autem poeta breviter et graviter dixit χρέος (ἔργον) ἀνάνδρου ἀνθρώπου.

Fragmentum 334 (346) N.

εἷς γάρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω,
θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν.
τὰ δ᾽ ἄλλα χωρὶς χρώμεθ᾽ ἀλλήλων νόμοις.

Nihili est Heathii coniectura in secundo versu ταὐτό pro τοῦτο; nam etiam librorum lectio τοῦτο sufficit, praesertim cum in primo versu verba εἷς γάρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος antecedant. Miror autem, Nauckium τίκτουσιν non improbasse; legendum enim esse τίκτοντας certum esse videtur.

Fragmentum 336 (332) N.

δοκεῖς τὸν Ἅιδην σῶν τι φροντίζειν γόων
καὶ παῖδ᾽ ἀνήσειν τὸν σόν, εἰ θέλοις στένειν;
παῦσαι· βλέπουσα δ᾽ εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ
ῥάων γένοι᾽ ἄν, εἰ λογίζεσθαι θέλοις
ὅσοι τε δεσμοῖς ἐκμεμόχθηνται βροτῶν κτλ.

In tertio et quarto versu hanc emendationem propono:

παῦσαι· βλεπούσῃ δ' εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ
ῥᾷον γένοιτ' ἄν, εἰ λογίζεσθαί θέλοις κτλ.

Fragmentum 339 N.

πλούτου δ' ἀπορρυέντος ἀσθενεῖς γάμοι·
τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοί,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν.

Probare non possum lectionem τοῖς εὐδαίμοσιν, neque τοῖσι πλουσίοις (Stob. Flor. 86, 25), neque Hensii coniecturam τοῖσιν ὀλβίοις. Scribendum est μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τὰ ἐν εὐδαίμοσιν.

Fragmentum 415 (411) N.

ἴστω δὲ μηδεὶς ταῦθ' ἃ σιγᾶσθαι χρεών·
μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
πρήσειεν ἄν τις, καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα
πύθοιντ' ἂν ἀστοὶ πάντες ἃ κρύπτειν χρεών.

In tertio versu Plutarchus (Moral. 507 B) καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα, Stobaeus (Flor. 41, 1) κἂν πρὸς ἕνα εἴποις ποτέ. Herwerdenus coniecit χἂν πρὸς ἄνδρ' εἴπῃς ἕνα. Legendum est κἂν πρὸς ἀνδρ' εἴπῃς ἕνα.

Fragmentum 430a (426) N.

τά τοι μέγιστα πάντ' ἀπείργασται βροτοῖς
τόλμ' ὥστε νικᾶν· οὔτε γὰρ τυραννίδες
χωρὶς πόνου γένοιντ' ἂν οὔτ' οἶκος μέγας.

Haec librorum lectio hoc modo explicanda est: ἡ τόλμα ὥστε νικᾶν πάντα τὰ μέγιστα βροτοῖς ἀπείργασται*) = audacia vincendi omnia maxima hominibus perfecit. Constructio τόλμα ὥστε νικᾶν pro usitato τόλμα νικᾶν eo defendi potest, quod interdum vocabula voluntatem vel studium significantia hanc constructionem admittunt, velut iam apud Homerum invenitur I, 42 εἰ δὲ σοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται ὥστε νέεσθαι. Cf. Eur. Hipp. 1327 Κύπρις γὰρ ἤθελ' ὥστε γίγνεσθαι τάδε. Sed tamen negari non potest, verborum constructionem duram esse, neque exemplis allatis et similibus constructio substantivi τόλμα cum ὥστε νικᾶν satis defenditur; notum enim

*) ἀπείργασται Heathius praeclare coniecit pro librorum lectione ἀπεργάζεται.

est. non omnes constructiones, quae verba vel locutiones verbales habeant, etiam ad substantiva transferri posse. Difficultates huius loci vario modo tolli possunt; facillima et aptissima mihi videtur esse Holzneri coniectura τά τοι μέγιστα πάντ' ἀπείργασται βροτοῖς τολμῶσι νικᾶν, quam ego quoque iam anno 1886 in margine mei exemplaris adnotavi. Τολμῶσι νικᾶν breviter et praegnanter dictum de eis, qui τολμῶσι πόνους καὶ κινδύνους ὑπομένειν, ὥστε νικᾶν. Similiter Horatius Epist. I, 2, 40 sapere aude dixit.

Suspicari licet, grammaticos ad genuinam lectionem τολμῶσι νικᾶν explicandam in margine addidisse ὥστε (ὥστε νικᾶν), postea vero hanc coniunctionem in textum irrepsisse et metri causa participium τολμῶσι in substantivum τόλμ' mutatum esse.

Fragmentum 438 (435) N.

τί δ', ἢν λυθείς με διαβάλῃς, παθεῖν σε δεῖ;

Lectionem librorum λυθῇς, quae sensu caret, Stephanus emendare conatus est coniectura λυθείς, quae non quidem sine sensu est, sed tamen probari non potest. Conington φύθη coniecit, qua coniectura rectam emendandi rationem monstrasse videtur; sed verisimilior est emendatio τί δ', ἢν φυθής (vel adverbium φυθῶς) με διαβάλῃς, παθεῖν σε δεῖ;

Fragmentum 526 (522) N.

εἰ κερκίδων μὲν ἀνδράσιν μέλοι πόνος,
γυναιξὶ δ' ὅπλων ἐμπέσοιεν ἡδοναί·
ἐκ τῆς ἐπιστήμης γὰρ ἐμπεπτωκότες
κεῖνοί τ' ἂν οὐδὲν εἶεν οὐδ' ἡμεῖς ἔτι.

Legendum est:

εἰ κέρκίδων μὲν ἀνδράσιν μέλοι πόνος,
γυναιξὶ δ' ὅπλων ἐμπέσοιεν ἡδοναί,
ἐκ τῆς ἐπιστήμης ἄρ' ἐκπεπτωκότες
κεῖνοί τ' ἂν οὐδὲν εἶεν οὐδ' ἡμεῖς ἔτι.

Fragmentum 538 (534) N.

τὸ μὲν γὰρ ἐν φῷ, τὸ δὲ κατὰ σκότος κακόν.

Ex verbis τὸ δὲ κατὰ σκότος κακόν concludi potest poetam in priore versus parte dixisse id, quod in luce sit, bonum esse. Itaque hanc coniecturam propono:

τὸ μὲν γὰρ ἐν φῷ ἐσθλόν, τὸ δ' αὖ κατὰ σκότος
κακόν . . . .

Fragmentum 540 (536) N.

φεῦ, τὰ τῶν εὐδαιμονούντων ὡς ταχὺ στρέφει θεός.

Pro librorum lectione ὡς τάχιστα Grotius coniecit ὡς τάχα, Meinekius proposuit coniecturam ὡς ταχύ, quam Nauckius probavit. Postea autem Nauckius διὰ τάχους proposuit. Sed fortasse probabilior est emendatio ὡς τάχος. Cf. Soph. Phil. 912 ἀπόδος ὡς τάχος τὰ τόξα.

Fragmentum 563 (559) N.

ἐγὼ δὲ πατρὸς αἷμ' ἐτιμωρησάμην
σὺν τοῖς ἐφηβήσασι καὶ τῶν ὀλωλότων.

Madvigius pro ἐφηβήσασι coniecit ἐφ' ἥβης παισί, Grotius delevit καί, Hermannus putabat post ὀλωλότων lectum fuisse παισίν. Ego quoque poetam παισί scripsisse opinor, sed conicio:

σὺν τοῖς ἐφήβοις παισὶ τῶν ὀλωλότων

Fragmentum 608 (605) N.

τὸ δ' ἔσχατον δὴ τοῦτο θαυμαστὸν βροτοῖς
τυραννίς, οὐχ εὕροις ἂν ἀθλιώτερον.
φίλους τε πορθεῖν καὶ κατακτανεῖν χρεών,
πλεῖστος φόβος πρόσεστι μὴ δράσωσί τι.

In secundo versu legendum esse existimo:

τυραννίς, οὗ οὐχ εὕροις ἂν ἀθλιώτερον.

Fragmentum 611 (608) N.

ἐν τοῖσι μὲν δεινοῖσιν ὡς φίλοι φίλων·
ὅταν δὲ πράξωσ' εὖ, διωθοῦνται χάριν
αὐτοὶ δι' αὑτοὺς εὐτυχεῖν ἡγούμενοι.

Legendum est:

ἐν τοῖσι μὲν δεινοῖσιν οἱ φίλοι φίλοι·

Sententia haec est: In calamitatibus amici (οἱ φίλοι) revera amici (φίλοι sensu activo = φιλοῦντες) sunt; si vero

prospera fortuna utuntur (sc. οἱ φίλοι), neglegunt gratiam, putantes, se sua ipsorum opera felices esse. Cum vero φίλος etiam passivum sensum habeat φιλούμενος*), loci sensus etiam hoc modo explicari potest: „In calamitatibus amici (οἱ φίλοι) revera amici (φίλοι sensu passivo = φιλούμενοι) sunt, i. e. in calamitatibus amici (οἱ φίλοι) revera amantur et coluntur ab hominibus eorum auxilium exspectantibus (φιλούμενοί εἰσι); si vero homines prospera fortuna utuntur, neglegunt gratiam, putantes, se sua ipsorum opera, non auxilio amicorum (τῶν φίλων), felices esse. — Prior explicandi ratio mihi simplicior et probabilior esse videtur.

Fragmentum 582 (578) N.

τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ᾽ ὀρθώσας μόνος,
ἄφωνα καὶ φωνοῦντα συλλαβάς τε θεὶς
ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ᾽ εἰδέναι,
ὥστ᾽ οὐ παρόντα ποντίας ὑπὲρ πλακὸς
τἀκεῖ κατ᾽ οἴκους πάντ᾽ ἐπίστασθαι καλῶς,
παισίν τ᾽ ἀποθνήσκοντα χρημάτων μέτρον
γράψαντας εἰπεῖν, τὸν λαβόντα δ᾽ εἰδέναι·

In secundo versu Hemsterhusii coniectura τε θείς, quam Stobaei et fragmentorum Euripidis editores probant, respuenda est. Librorum lectio τιθείς genuina et sensui accommodata est; συλλαβάς praedicativo modo cum obiecto ἄφωνα καὶ φωνοῦντα coniunctum est „consonantes et vocales reddens syllabas, i. e. e consonantibus et vocalibus coniunctione earum efficiens syllabas.“ Constructione verbi τιθέναι cum duobus accusativis, quorum alter notionem praedicativam habet, inde ab Homeri aetate poetae saepe usi sunt; cf. Aesch. Suppl. 295 βοῦν τὴν γυναῖκ᾽ ἔθηκεν Ἀργεία θεός. Eur. Iph. Taur. 1474 sq. ἤδη Ποσειδῶν . . . ἀκύμονα πόντου τίθησι νῶτα.

Fragmentum 628 (626) N.

δήμῳ δὲ μήτε πᾶν ἀναρτήσῃς κράτος
μήτ᾽ αὖ κακώσῃς, πλοῦτον ἔντιμον τιθείς,
μηδ᾽ ἄνδρα δήμῳ πιστὸν ἐκβάλῃς ποτὲ
μηδ᾽ αὖξε καιροῦ μεῖζον.

„Ne populo (multitudini) omnem potentiam pares, neve eum affligas . . .; ne virum popularem fidum respuas, neve

*) De vocabulorum φίλος et ἐχθρός ambiguitate conferatur Platonis dialogus Lysis.

eum nimis augeas." In primis duobus versibus mediocris quaedam populi tractandi ratio commendatur; populus neque nimis liberaliter habendus est, neque nimis saeve.*) In versu tertio et quarto eadem mediocris ratio in tractandis singulis popularibus commendatur. Legendum igitur est

μηδ' ἄνδρα δήμου πιστὸν ἐκβάλῃς ποτέ

„neve virum de plebe fidum (i. e. fidum tibi) respuas". Δήμου ἀνήρ (= ἀνὴρ δημότης) notum est ex Homeri versu B 198 ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι. Genuina lectio δήμου vocabuli πιστόν vicinitate in δήμῳ abiit.

Fragmentum 664 (668) N.

ἄνευ τύχης γάρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος μονωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς.

Hi versus a viris doctis varie atque saepe infeliciter tractati sunt; omnium vero infelicissima et prorsus incredibilis est Holzneri coniectura (Kritische Studien zu den Bruchstücken des Euripides „Wiener Studien" 1883)

ἦν εὐτυχῇς γάρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἑνὸς μόνου δεῖ, σ' οὔποτ' ἀλλοιοῦν τρόπους.

Iure quidem Holznerus Cobeti emendationem ἦν εὐτυχῇς γάρ probavit, sed in alterum versum sententiam ab hoc loco plane alienam intulit. Legendum enim est

ἦν εὐτυχῇς γάρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος ἀναλωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς.

Verba πόνος ἀναλωθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς sunt λιτότης; labores enim iam exantlati non tantum non dolore afficiunt, sed etiam iucundi sunt. Huc pertinent clarissimi illi loci Hom. μ 212 καί που τῶνδε μνήσεσθαι οἴω, quae verba Vergilius Aen. I 203 imitatus est forsan et haec olim meminisse iuvabit. Praeterea cf. Odyss. ο 400 μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνήρ, ὅς τις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ κτλ. — Etiam Euripides ipse similiter dixit ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, quae verba Macrobius Saturn. VII, 2 servavit et Cicero de Finibus II. 32, 105 convertit.

Vitelli, vir sagacissimus, coniecit πόνος πονηθείς, quae coniectura eundem exhibet sensum, ac mea πόνος ἀναλωθείς.

---

*) Eadem mediocris ratio celeberrimis illis Solonis versibus commendatur δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ, | τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν οὔτ' ἐπορεξάμενος (Plut. vita Sol. c. 18) et δῆμος δ' ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο, μήτε λίην ἀνεθεὶς μήτε πιεζόμενος (Plut. comp. Sol. et Popl. 2).

Fragmentum 699 (698) N.

δεῖ γάρ με δόξαι πτωχὸν εἶναι τήμερον,
εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή.

Priorem versum Nauckius aut corruptum aut ab Aristophane mutatum esse dixit; in textu verba εἶναι τήμερον uncis inclusit. Miram coniecturam, ut fere solet, Holznerus excogitavit: δεῖ γάρ με δόξαι πτωχόν, ἤν τι λῆμμ᾽ ἔλω. Legendum est

δεῖ γάρ με δοξόπτωχον εἶναι τήμερον, κτλ.

Hoc adiectivum ἅπαξ λεγόμενον est, sed commendatur similibus compositis, velut δοξόσοφος (Plat. Phaedr. 275 B), δοξοκαλία (Plat. Phil. 49 D) δοκησιδέξιος (Pherecr. apud Athen. III, 122 E), δοκησίσοφος (Aristoph. Pax. 44).

Fragmentum 759 N.

πρὸς τὰς φύσεις χρὴ καὶ τὰ πράγματα σκοπεῖν κτλ.

Sensus ipse ostendit, legendum esse πρὸς τῇ φύσει, vel fortasse πρὸς ταῖς φύσεσι, quod ad litterarum ductum etiam propius accedit.

Fragmentum 773 (776) N.

δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ᾽ ἔμφυτον,
σκαιοῖσιν εἶναι· τί ποτε τοῦδέ γ᾽ αἴτιον;
ἆρ᾽ ὄλβος αὐτοῖς ὅτι τυφλὸς συνηρετεῖ,
τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας καὶ τῆς τύχης;

Meinekius coniecit in quarto versu καὶ τῆς τέχνης, Maehly καὶ δυστυχεῖς pro verbis καὶ τῆς τύχης; sed in promptu est mutatio

τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας καὶ τὰς τύχας.

Fragmentum 792 (794) N.

ὁρᾶτε δ᾽ ὡς κἀν θεοῖσι κερδαίνειν καλόν,
θαυμάζεται δ᾽ ὁ πλεῖστον ἐν ναοῖς ἔχων
χρυσόν. τί δῆτα καὶ σὲ κωλύει λαβεῖν
κέρδος, παρόν γε κἀξομοιοῦσθαι θεοῖς;

Veri simile est, his verbis Troianorum legatos persuadere studere Philoctetae, ut dona a Troianis oblata accipiat et Achivorum preces respuat. Itaque pluralis numerus ὁρᾶτε

δ᾽ ὡς male habet. Iam Bothius coniecit ὅρα τόδ᾽ ὡς (pro ὁρᾶτε δ᾽ ὡς), Welckerus ὅρα δέ γ᾽ ὡς, Ribbeckius ὁρᾷς δέ δ᾽ ὡς; ego propono: ὅρα δ᾽ ἔθ᾽ ὡς.

Fragmentum 793 (795) N.

τί δῆτα θάκοις μαντικοῖς ἐνήμενοι
σαφῶς διόμνυσθ᾽ εἰδέναι τὰ δαιμόνων;
οὐ τῶνδε χειρώνακτες ἄνθρωποι λόγων·
ὅστις γὰρ αὐχεῖ θεῶν ἐπίστασθαι πέρι,
οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν ἢ πείθειν λέγων.

Hos versus servavit Stobaeus Ecl. 2, 1, 2 p. 4. In versibus pracedentibus, qui servati non sunt, poeta, ni fallor, dixit, vatum responsa saepe falsa fuisse. Cur igitur, pergit, vos (vates) divinarum rerum peritia gloriamini? Horum sermonum auctores (fabri) homines sunt.*) Itaque post ἄνθρωποι λόγων interrogationis signum ponendum est; Nauckii interpunctione sententiarum nexus prorsus pervertitur; vocabulum ἄνθρωποι graviter pronunciandum est: „homines, non dii ipsi, horum sermonum auctores sunt".

In 5. versu Nauckius pro librorum lectione ἢ πείθει λέγων scripsit ἢ πείθειν λέγων. Hanc coniecturam „nam qui rerum divinarum scientia gloriatur, nihil aliud scit nisi verbis persuadere" probare non possum. Constructio οἶδεν πείθειν sententiae huius loci plane repugnat. Euripides dixit: „nam qui rerum divinarum scientia (ἐπίστασθαι) gloriatur, nihilomagis hanc scientiam habet (οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν). Coniectura ἢ πείθειν λέγων aliam verboru antecedentium conformationem requirit, et quidem οὐδέν τι ἄλλο οἶδεν.

Schmidtius coniecit πείθειν ὄχλον, Weckleinius ἢ ἀπατᾶν ὄχλον, Heimsoethius ἢ ψευδῆ λέγειν. Multo probabiliorem coniecturam Munro proposuit: εἰ πείθει λέγων; sed ut sententia, de qua Munro cogitavit, clarius et aptius notetur, altera eiusdem viri docti coniectura praeferenda est:

οὐδέν τι μᾶλλον οἶδε, κεἰ πείθει λέγων

„nam qui rerum divinarum scientia gloriatur, nihilomagis hanc scientiam habet, etiamsi hominibus persuadet, se hanc scientiam habere."

Fragmentum 795 (798) N.

πατρὶς καλῶς πράσσουσα τὸν τυχόντ᾽ ἀεὶ
μείζω τίθησι, δυστυχοῦσα δ᾽ ἀσθενῆ.

---

*) Haec sententia exspectatur, non οὐ τῶνδε χ. ἄ. λόγων, quae verba sensum plane contrarium et sententiarum nexui repugnantem habent „non sunt horum sermonum auctores homines".

Apparet, sensum horum versuum esse: „Patria, si felix est, etiam cives felices reddit, sin infelix, etiam cives laborant“. Sed in his versibus verba τὸν τυχόντ' ἀεί sensum aptum non exhibere apertum est. Scribendum esse puto:

πατρὶς καλῶς πράσσοντά γ' εὐτυχοῦσ' ἀεὶ
μείζω τίθησι, δυστυχοῦσα δ' ἀσθενῆ.

Oppositionem εὐτυχοῦσα — δυστυχοῦσα valde aptam esse nemo negabit.

Fragmentum 801 (804) N.

μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα
δίδωσιν ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ·
δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Fragmentum hoc ex duobus conflatum esse videtur. Primus versus sententiam absolutam continet; altera sententia versu secundo et tertio expressa est. Legendum autem in versu secundo:

ἔπταισεν ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ·

Fragmentum 803 (806) N.

ἀλλ' οὔποτ' αὐτὸς ἀμπλακὼν ἄλλον βροτὸν
παραινέσαιμ' ἂν παισὶ προσθεῖναι κράτη,
πρὶν ἂν κατ' ὄσσων τυγχάνῃ μέλας σκότος,
εἰ χρὴ διελθεῖν πρὸς τέκνων νικώμενον.

Amyntor, qui fortasse hos versus profert, in primis duobus versibus dicit, se nulli patri unquam suasurum esse, ut liberis ante mortem opes suas concedat.

Quae cum ita sint, in versu quarto male dicitur εἰ χρὴ διελθεῖν πρὸς τέκνων νικώμενον. Immo Amyntor contrariam sententiam proferre debebat, patrem non debere liberis opes potestatemque ante mortem suam tradere. Iam Weckleinius (Eur. Studien 424) hoc bene perspexit et vitiosam lectionem addita negativa particula μή emendare conatus est:

εἰ χρὴ διελθεῖν μὴ τέκνων νικώμενον.

Meliorem autem loci sanandi rationem invenit Meklerus, vir et ingenii acumine et insigni eruditione praestantissimus atque de Euripide optime meritus:

ἢ (alioquin) χρὴ διελθεῖν πρὸς τέκνων νικώμενον.

Praeterea autem locus aliis duobus vitiis laborat. Dubito, num διελθεῖν absolute positum degendi (διάγειν) sen-

sum habeat; nam exemplis Plat. Gorg. 523 A δικαίως τὸν βίον διελθεῖν, Eur. Hel. 776 διῆλθον ἑπτὰ περιδρομὰς ἐτῶν et similibus absolutus, qui dicitur, usus verbi διέρχεσθαι non probatur neque constructio διέρχομαι νικώμενος. In promptu est emendatio:

ἢ χρὴ διατελεῖν πρὸς τέκνων νικώμενον.

In primo et secundo versu legendum est

ἀλλ' οὔποτ' αὐτὸς ἀμπλακὼν ἄλλῳ βροτῷ
παραινέσαιμ' ἂν παισὶ προσθεῖναι κράτη.

Verbum ἐπαινεῖν adhortationem significans duplicem constructionem habet, ἐπαινῶ σε τοῦτο ποιεῖν et ἐπαινῶ σοι τοῦτο ποιεῖν (cf. Aesch. Suppl. 996 ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν ἐμέ, Choeph. 581 ὑμῖν ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν); sed παραινεῖν tantummodo cum dativo coniungitur.

Fragmentum 830 (833) N.

τίς δ' οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,
τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά.

Prima huius fragmenti verba significant, mortem quae dicatur, fortasse iure vitam dici posse, et vitam, quam homines dicant, mortem. Est igitur hac in re quaedam vitae et mortis aequalitas. Unum tantum discrimen vitae et mortis est; hoc autem discrimen viventibus est infaustum, mortuis faustum; nam vivis damno est, quod morbis laborant, mortuis vero lucro, quod morbis non sunt obnoxii neque ullum aliud malum patiuntur.

Legendum igitur esse censeo πλὴν ὅσον atque dicta esse haec verba cum ironia. Ut εἰ μή, εἰ μὴ ἄρα (nisi forte, nisi vero) saepe ironiae vim et notionem habent (cf. Xen. Mem. I, 2, 8 πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ διαφθείροι τοὺς νέους; εἰ μὴ ἄρα ἡ τῆς ἀρετῆς ἐπιμέλεια διαφθορά ἐστιν), eodem modo interdum etiam πλὴν εἰ, πλὴν εἰ μή, πλὴν ὅτι, πλὴν ὅσον.

Fragmentum 846 (850) N.

ἡ γὰρ τυραννὶς πάντοθεν τοξεύεται
δεινοῖς ἔρωσιν, ἧς φυλακτέον πέριξ.

Stobaeus Flor. 49, 4 hos versus servavit praescripto falso lemmate Εὐριπίδου Ἠλέκτρα. In 2. versu Vind. ἧς, AM οἷς. Legendum esse puto:

δεινοῖς ἔρωσιν, οὓς φυλακτέον π έ ρ ι ξ.

οὓς recepi ex Valckenaeri coniectura δεινῶς ἐρῶσιν, ο ὓ ς φυλακτέον, πάτερ. Πέριξ congruit cum vocabulo πάντοθεν. Tyrannis u n d i q u e petitur ab eis, qui ea potiri vehementer cupiunt; necesse igitur est, tyrannum quoquoversus oculos circumferre et semper in omnes partes paratum esse ad impetus repellendos.

Fragmentum 855 (863) N.

ἥκει δ' ἐπ' ὤμοις ἢ συὸς φέρων βάρος
ἢ τὴν ἄμορφον λύγκα, δύστοκον δάκος.

Aelianus, qui N. A. 14, 6 hos versus servavit, adiecit: ὑπὲρ ὅτου δὲ λέγει δύστοκον, τοὺς κριτικοὺς ἐρέσθαι λῷον; notavit igitur his verbis difficultatem lectionis δύστοκον. Emendari potest corruptum δύστοκον aut δύσκολον aut, quod probabilius puto, δύσκοτον. Hoc vocabulum in lexicis quidem non invenitur, sed forma eius defenditur similibus compositis ἔγκοτος, ἐπίκοτος, βαρύκοτος, ζάκοτος.

Fragmentum 892 (900) N.

ὤφειλε δῆθεν, εἴπερ ἔστ' ἐν οὐρανῷ
Ζεύς, μὴ τὸν αὐτὸν δυστυχῆ καθεστάναι.

Heimsoethius pro τὸν αὐτόν coniecit τὸν ἐσθλόν. Ad litterarum ductum τὸν αὐτόν propius accedit τὸν ἀγαθόν. Sed etiam alia ratione locus sanari potest; nam si verbis secundi versus ἀεί additur, bona sententia nascitur. Cum autem in secundum versum hoc ἀεί nullo modo inferri possit, fortasse legendum est:

Ζεύς, μὴ τὸν αὐτὸν δυστυχῆ καθεστάναι
ἀεὶ κτλ.

Multorum enim fragmentorum sententia nobis mutila, non integra servata est.

Fragmentum 901 (909) N.

οὐδεμίαν ὤνησε κάλλος εἰς πόσιν ξυνάορον,
ἀρετὴ δ' ὤνησε πολλάς· πᾶσα γὰρ ἀγαθὴ γυνὴ
ἥτις ἀνδρὶ συντέτηκε σωφρονεῖν ἐπίσταται.
πρῶτα μέν γε τοῦθ' ὑπάρχει· κἂν ἄμορφος ᾖ πόσις,
χρὴ δοκεῖν εὔμορφον εἶναι τῇ γε νοῦν κεκτημένῃ·
οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρίνειν . . . ἐστὶν ἀλλὰ νοῦς.

Lacunam in sexto versu Heimsoethius voce ἱκανόν post κρίνειν addita, Nauckius interposita voce δυνατόν explere conatus est. Ego versum integrum hanc habuisse formam puto:

οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνον εἶδός ἐστιν, ἀλλὰ νοῦς

i. e. non enim oculus id est, quod iudicat speciem, sed mens. Κρῖνον iam Sylburgius coniecit, quod multi viri docti probarunt, sed ad lacunam explendam variae temptantur coniecturae. Grotius μορφὴν post τὸ addidit, Musgrave ταῦτα, Hirschigius κάλλος post ἐστι, Duentzerus μόνος post νοῦς, Herwerden τόδε post νοῦς. Ego τὸ κρῖνον εἶδος propono.

Fragmentum 903 (911) N.

χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ
καὶ τὰ Σειρήνων πτερόεντα πέδιλ' ἁρμόζεται,
βάσομαί τ' εἰς αἰθέρα πολὺν ἀερθεὶς
Ζηνὶ προσμίξων

In tertio versu Gomperzius ingeniosam coniecturam αἰθέριον πόλον ἀρθείς proposuit, quam Nauckius (1889) in textum recepit. Heimsoethius αἰθέρ' ἄπειρον ἀερθείς coniecit. Ego propono αἰθέρα π ο λ λ ὸ ν ἀερθείς. Pro poetica forma πολλόν grammatici atticum accusativum πολὺν posuerunt metri nullam rationem habentes.

Fragmentum 945 (951) N.

ἣν οἱ τεκόντες τοῦτο γιγνώσκωσ' ὅτι
νέοι ποτ' ἦσαν, ἠπίως τὴν τῶν τέκνων
οἴσουσι Κύπριν, φύντες οὐ σκαιοί φύσιν.

In tertio versu Nauckius coniecturam suam φύντες (pro codicis corrupta lectione οὖντες) in textum recepit; mihi Schneidewini coniectura ὄντες, quae in promptu est, probabilior esse videtur. In secundo versu Meinekii coniecturam καὐτοὶ νέοι ποτ' ἦσαν, ἠπίως τέκνων aptiorem esse concedo quam lectionem in codice traditam, sed tamen non ausim hanc coniecturam probare; nego enim, poetas antiquos semper optima et aptissima dicendi forma usos esse. Certum est, poetas nostrae aetatis saepe meliore dicendi forma uti potuisse; idem iudicium de antiquis poetis proferri potest, quamquam concedendum est, eos emendati generis dicendi magis fuisse studiosos quam poetas novicios.

Schmidtius coniecit:

ἣν οἱ τεκόντες τοῦτο γιγνώσκωσ᾽ ὅτι
νέοι ποτ᾽ ὄντες ἦσαν οὐκ ἄλλοι φύσιν,
οἴσουσι Κύπριν ἠπίως τὴν τῶν τέκνων

De hac audacissima coniectura recte Holznerus dixit (Krit. Studien zu den Bruchstücken des Eur. pag. 38): „was zwar eine logische Gedankenfolge, aber eine zu schonungslose Behandlung der Ueberlieferung bedeutet". Sed quid de ipsius Holzneri altera coniectura iudicandum est: οἴσουσι Κύπριν, φύντες οὐ νικᾶν Κύπριν? Utri audacitatis palma deferenda est, Schmidtio an Holznero? Talibus coniecturis ars critica, quae Godofredi Hermanni aetate aliis normis, eisque severioribus, utebatur, ludibrio fit.

Ego legendum esse existimo:

οἴσουσι Κύπριν, ὄντες οὐ σκληροὶ φύσιν.

Fragmentum 966 (976) N.

ἀκόλαστα πάντη γίγνεται δούλων τέκνα.

Diogenes Laert. IV, 35 de Arcesilao dicit: στωμύλου δὲ ἀγεννοῦς πράγματα αὐτῷ παρέχοντος ἔφη 'ἀκόλασθ᾽ ὁμιλεῖν γίγνεται δούλων τέκνα.' Plutarchus autem Mor. p. 526 C: οὐ γὰρ μόνον κατὰ τὸν Εὐριπίδην 'ἀκόλαστα πάντη γίγνεται δούλων τέκνα', ἀλλὰ καὶ μικρολόγων. Comparans hos duos locos concludo Euripidem scripsisse

ἀκόλαστ᾽ ἀπαντᾶν γίγνεται δούλων τέκνα.

Diogenes Laertius pro genuina lectione ἀπαντᾶν posuit usitatiorem vocem ὁμιλεῖν.

Fragmentum 971 (981) N.

εἰ δὲ πάρεργον χρή τι κομπάσαι, γύναι, κτλ.

Dobree coniecit εἰ δ᾽ οὖν (vel αὖ) πάρεργον κομπάσαι γυναῖκα χρή. Nauckius mavult εἰ δ᾽ ἐκ παρέργου. Scribendum potius

εἰ δ᾽ ἐν παρέργῳ χρή τι κομπάσαι, γύναι.

Fragmentum 986 (998) N.

αἰεὶ πρασίμοχθοι κοὔποθ᾽ ἥσυχοι δορί

Polybii codices AB αἰεὶ πρχσίμοχθοι, FDE αἰεὶ πρυσίμοχθοι, C[1] αἰεὶ πλησίμοχθοι. Heimsoethius coniecit περισσόμοχθοι, Nauckius ἀμπρευσίμοχθοι.

Facilem eamque probabilem coniecturam esse puto

αἰεὶ περᾱσίμοχθοι κοὔποθ' ἥσυχοι δορί.

Ex verbo περᾶν (cf. περᾶν κίνδυνον apud Aesch. Choeph. 268) et μόχθος compositum est adiectivum περασίμοχθος. Cf. τλησίπονος apud Nonnum et Oppianum.

Fragmentum 1030 N.

Huius fragmenti tradita lectio pluribus vitiis laborare mihi videtur; nunc tantum hoc moneo, in sexto versu legendum esse

εἰ τἀπίορκα πρόσθεν ἡγοῦνται δίκης.

Librorum lectio est εἰ τἀπιεικῆ πρόσθεν ἡγοῦνται δίκης.

Fragmentum 1046 (1061) N.

μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος·
ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος,
τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;

In secundo versu Stobaei codex B exhibet ἔνδικος, sed A ἔνδον, M Vind. ενδοσ. Multis coniecturis viri docti hunc versum emendare conati sunt. Nauckius antea temptabat ἔννομος, sed in fragmentorum editione huius coniecturae mentionem non fecit. Meinekius commendabat κοσμία, Cobetus μὴ πέφυκε σωφρονεῖν. Omnium coniecturarum, quae adhuc ad emendandum secundum versum prolatae sunt, maxime probabilis esse videtur Mekleri emendatio

ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκ' ἔνδον μένειν

Hanc coniecturam Meklerus multis eisque aptis exemplis, ad usum vocis ἔνδον et locutionis ἔνδον μένειν pertinentibus, commendat, velut fragm. 525 ἔνδον μένουσαν τὴν γυναῖκ' εἶναι χρεὼν | ἐσθλήν, θύραισι δ' ἀξίαν τοῦ μηδενός. — Locis a Meklero congestis addo versus a Stobaeo servatos in Flor. 74, 27

τὸ μὲν μέγιστον, οὔποτ' ἄνδρα χρὴ σοφὸν
λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μυχοῖς δόμων.
ἐρᾷ γὰρ ὄψις τῆς θύραθεν ἡδονῆς κτλ.

Stobaeus Flor. 73, 42 Alexidis versus exhibet οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα | οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή.

De tertii versus sententia Meklerus haec dixit: „Soweit hier vom Zusammenhang der Stelle gesprochen werden kann, scheint doch das ἐξαμαρτάνειν π λ έ ο ν auf Seite der Frau zu liegen; entweder meint daher der Dichter: wozu sie überwachen, um sie an weiteren Fehltritten zu hindern, da sie doch von selbst dahin neigt: τί δεῖ φυλάσσειν, μ ὴ 'ξ α μ α ρ τ ά ν η πλέον; oder: gerade die ängstliche Aufsicht reizt zur Versündigung gegen die hausherrliche Gewalt: τί δεῖ φυλάσσειν; κἀξαμάρτανει πλέον".*) Nihilominus lectionis codicum sensus bonus et aptus est. Mulierem improbam et infidam custodire inutile est, quippe quae peccandi occasionem semper nunciscatur; itaque si maritus infidam coniugem custodiat, dupliciter errat; nam eius opera custodiendi vana et inutilis est.

Ad confirmandam hanc sententiam adfero versus ex Stobaei Floril. 74, 27[a]

ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διασφραγίσμασι
σώζει δάμαρτα, δρᾶν τι δὴ δοκῶν σοφόν,
μάταιός ἐστι καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ·
ἥτις γὰρ ἡμῶν καρδίαν θύραζ' ἔχει,
θᾶσσον μὲν οἰστοῦ καὶ πτεροῦ χωρίζεται,
λάθοι δ' ἂν Ἄργου τὰς πυκνοφθάλμους κόρας·
κ α ὶ π ρ ὸ ς κ α κ ο ῖ σ ι τ ο ῦ τ ο δ ὴ μ έ γ α ς γ έ λ ω ς,
ἀνήρ τ' ἀχρεῖος χἠ γυνὴ διοίχεται.

Maritus, qui perfidam coniugem custodit neque tamen eius adulterium impedire potest, d u p l i c i t e r p e c c a t (ἐξαμαρτάνει πλέον); nihil enim proficit et insuper ludibrio fit.

* * *

Praeterea, ut omnes meae curae criticae ad Euripidis fragmenta pertinentes in conspectu sint, hoc quoque loco breviter commemoro eas coniecturas, quas in huius ephemeridis vol. IV (1898) pag. 198 sqq. proposui.

---

*) Mekleri sententiam equidem non probo; sed laudo viri doctissimi dubitanter loquentis temperantiam; errare humanum est, et viri philologi saepe errant, atque ego ipse ingenue fateor, non raro mihi accidisse, ut errarem; hanc veniam petimusque damusque vicissim. Quid autem de Holzneri, viri sane diligentis, sed in arte critica exercenda infelicissimi, superbia dicamus: „Nach der Ueberlieferung ist von einem S ü n d i g e n des Mannes die Rede; das ist doch offenbar w i d e r s i n n i g." Ego autem hanc sententiam, quam Holznerus a b s u r d a m, v e l c e r t e s e n s u i r e p u g n a n t e m (widersinnig) esse dicit, u n i c e v e r a m esse contendo et argumento fortasse haud contemmendo id probare studeo. Holznerus debebat reputare, ἐξαμαρτάνειν non tantum p e c c a t u m (S ü n d i g e n) significare, sed etiam e r r o r e m.

Ad fragm. 38 λαλίστατος δ' ὧν οὐκ ἐρωτῶσιν λέγει.
„ „ 55, 4 μοχθοῦσ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.
„ „ 61 ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σ' ἢ καὶ κακόν.
„ „ 106 στείχοντά τ' ἀθρόον (ἀθροῦν) ἐκ τρόχων πεπαυμένον.
„ „ 176 ὀδύναισι τρώσει.
„ „ 198 φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαιμόνων.
„ „ 254 οἱ τῶν δικαίων γὰρ νόμοι ταὐξήματα
μεγάλα φέρουσι, πάντα δ' ἀνθρώποις μάτην
τάδ' ἐστὶ χρήματ', ἥν τις μὴ εὐσεβῇ θεόν.
„ „ 329 σοφοὺς ἄγασθαι τοὺς λόγους.
„ „ 339 ἔχθραν μεγίστην σοῖσιν ἐμβάλλων τέκνοις.
„ „ 357 ναῦς ἡ μεγίστη γ' ἧσσον ἢ μικρὸν σκάφος.
„ „ 363 ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημί, μᾶλλον δ' οὐ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς
ζῶντας.
„ „ 459 εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις,
χρῆν καὶ σὲ μέλλειν, ἕως (monosyllabum)
χρόνος παρῆλθεν.

Varia.

Scripsit **Rob. Novák.**

Liv. 1, 43, 11: *octoginta inde primae classis centuriae peditum vocabantur. ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur.*

Codicum memoria h. l. integra esse non potest; nam enuntiatum *ut secundae classis vocarentur* non habet unde pendeat. deesse sententiam apparet, cui illud enuntiatum subiectum erat. lacunam eam apte expleveris scribendo: 'ibi si variaret, quod raro incidebat, <institutum>, ut secundae classis vocarentur.' cf. 1, 7, 13 inde institutum mansit, — ne extis sollemnium vescerentur; 1, 32, 1 mortuo Tullo res, ut institutum iam inde ab initio erat, ad patres redierat; 3, 55, 13 institutum etiam ab iisdem consulibus, ut senatus consulta in aedem Cereris — deferrentur; 4, 4, 3 tribuni plebis, aediles, quaestores nulli erant: institutum est, ut fierent; 7, 2, 12 eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur et stipendia — faciant; 9, 46, 15 ab eodem institutum dicitur, ut equites idibus Quinctilibus transveherentur; 26, 4, 9 inde equitatu quoque superior Romana res fuit. institutum, ut velites in legionibus essent: 31, 49, 10 maiores ideo in-

stituisse, ut legati, tribuni, centuriones — adessent; 39, 13, 14 biennio proximo institutum esse, nequis maior viginti annis initiaretur; 39, 42, 6 patrum memoria institutum fertur ut censores motis e senatu adscriberent notas.

2, 33, 6: *hi tres collegas sibi creaverunt; in his Licinium fuisse, seditionis auctorem. de duobus, qui fuerint, minus convenit.*

Sinceram lectionem codicum non esse dixi iam in editione huius libri (Pragae 1890, p. 124). nam *fuisse* non habet unde pendeat, quoniam ex sequenti *minus convenit* subaudire *convenit* vel *constat* per scriptoris usum non licet. locus duplici ratione emendari potest, aut sublato *fuisse* aut *constat* suppleto. utramque lectionem in adnotatione critica, quam adiunxi meae editioni, indicavi, ipse in verba Livii illam alteram recepi; scripsi enim; 'in his Sicinium fuisse, seditionis auctorem, <constat>; de duobus....' H. J. Müller deinde (1894) in VIII. editione Weissenborniana scripturam priorem censuit praeferendam. de eodem loco in Stud. Liv. (1894) p. 63 rursus egi vocemque quam suppleveram his duobus exemplis confirmavi: 38, 57, 2 minorem — nuptam fuisse convenit; illud parum constat, utrum post mortem patris et desponsa sit et nupserit, an verae illae opiniones sint; 41, 15, 4 ceteris dis perlitatum ferunt, Saluti Petilium perlitasse negant. sed quorsum haec commemoro? ut actam rem Maur. Muellerum iis egisse doceam, quae hoc anno in ephem. gymn. Berol., Jahresb. p. 35, de l. l. protulit. cum enim reiecisset lectionem priorem tamquam violentam, proposuit: 'hi tres collegas sibi creaverunt; in his Licinium fuisse <constat vel satis constat> seditionis auctorem' idque loco 38, 57, 2 commendavit. ea igitur re una a me differt, quod alio loco *constat* inseruit. nimirum tollenda erat cacophonia, quae in illis *fuisse seditionis* inesset. sed neque in his *fuisse seditionis* cacophonia inest quam vitet Livius — hac ex causa non offendi in tradita scriptura et quod me offendisse putat M. Mueller valde errat — et loci, quos adtuli, in fine sententiae i. e. post *auctorem* excidisse *constat* magis testantur. cf. etiam 5, 35, 3 hanc gentem Clusium Romamque inde venisse comperio; id parum certum est, solamne an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adiutam.

44, 40, 8: *quod (iumentum) cum per aquam ferme genus tenus altam tres milites sequerentur, Thraeces duo id iumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes * * .*

In genetivo *genus* e *tenus* pendente iam complures offenderunt, velut Luterbacher (Neue Jahrb. f. Philol. 1885 p. 614), et *genu* scribendum censuerunt. sane ablativus desideratur, siquidem Livius, ut decet, alibi cum eo casu construere solet *tenus*: 9, 19, 4 et inde Antio atque Ostiis tenus — socios — invenisset; 21, 54, 9 et erat (aqua) pectoribus tenus, aucta nocturno imbri; 26, 45, 8 et adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret; 28, 39, 14 uti Hispaniam non Hibero amne tenus — domitam armis habeatis; 34, 5, 4 in quos iecit magis hoc consul verbo tenus; 41, 20, 12 deinde saepius dando, et modo volneribus tenus. non multum tribuendum videtur loco 26, 24, 11 'urbium Corcyrae tenus ab Aetolia incipienti solum tectaque — Aetolorum — essent', quoniam ablativus facile in genetivum transire poterat librario *urbium* cum *Corcyra* coniungente.

Sed l. l. (44, 40, 8) non solum genetivus mihi videtur suspectus, sed etiam singularis numerus. etenim ex usu scriptoris erat pluralis. nam quem ad modum *aure tenus* Livius dicturus non fuit, ita ne *genu tenus* quidem. pluralem enim, non singularem adhibet corporis partis, quae non simplex, sed duplex est (cf. *oculi*, *aures*, *pedes*, *manus*), si in universum eius usus vel actio significatur. cf. prae ceteris 26, 45, 8: adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua (non dicit Livius genu) vix superaret; 28, 29, 9 terror oculis auribusque est offusus; 29, 21, 13 comperta oculis referrent Romam; 30, 11, 3 ut subiectae oculis regni — vires — spiritus possent facere; 22, 14, 8 strepunt aures clamoribus. quare vera lectio videtur: 'per aquam ferme gen<ib>us tenus altam'. cf. de vitio 22, 15, 12 coniunctis exercit<ib>us; 22, 30, 4 item. forma *genibus* legitur apud Livium saepius, velut 26, 9, 7 nixae genibus; 43, 2, 2 nixi genibus; 8, 37, 9 genibus se omnium advolvens; 34, 48, 2; 39, 14, 1; 44, 31, 13.

Tac. hist. II 4: *quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli pudor.*

Pudor in mea editione (1892) scripsi pro *labor*, quod ex superiore versu a librario per errorem haud dubie erat iteratum. in eandem sententiam G. Andresen nuper (In Taciti historias studia crit. et palaeogr. II [1900] p. 3) proposuit, scilicet quo magis traditae scripturae satisfaceret, 'et inexperti belli rubor'. sed haec lectio comprobari non po-

test. nam voci *rubor* hoc sensu positae Tacitus non adiungit genetivum rei, cuius admissae aliquem pudet. at saepius idem *pudor* cum tali genetivo coniunxit. nostrae emendationi auxilio sunt praecipue loci hist. 2, 22 pudore coeptae temere oppugnationis; ann. 14, 7 pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse; 3, 18 pudore absolutae Plancinae placabilior. cf. et Liv. 21, 16 2 et pudor non lati auxilii. itaque non spernenda erit l. l. mea lectio 'et inexperti belli pudor'.

ibid. 4, 15: *statimque accitis Frisiis — duarum cohortium hiberna proxima [occupata] Oceano inrumpit.*

Hanc lectionem iam ab Ulrichsio propositam in Anal. Tac. p. 13 commendare conatus eram. recepit eam deinde W. Heraeus in nova editione Taciti Historiarum a patre adornata, ita tamen, ut pro incerta eam se habere non dissimularet. nec aliud de ea G. Andresen (In Taciti historias studia crit. et palaeogr. II p. 20) fecit iudicium. nam sub *occupata* aliquid veri latere sibi persuadet. ego tamen etiam nunc in sententia persisto, qua librarium per oscitationem *occupata* scripsisse censui, initio illius '*Oc*eano' inductum. exemplo enim talis mendi, quod l. l. attuli, Val. Max. 1, 1, ext. 4: 'in quam ne incideret Timasitheus — consilio sibi aliter atque universae patriae utili providit [*ex*emplo]: *ex*cepta namque . . .' addo alterum, paneg. Lat. 2, 5 (p. 93, 17 B.): 'ipse hosti undique, et qua resisteret et qua cederet et qua fugeret [*oc*eanum *Bert.*], *oc*curreres erroremque adversariis pariter ac tuis faceres'. sic enim locum scribendum esse ostendi nuper in commentatione „In panegyricos Latinos studia grammatica et critica" p. 22. scriba codicis Bertiniensis eadem neglegentia *oceanum* ante *occurreres* intrusit, qua librarius M l. l. apud Tacitum *occupata* inseruit ante *Oc*eano.*)

Hist. Aug. v. Hadr. 3, 11: *et defuncto quidem Sura Traiani ei familiaritas crebuit, causa praecipue orationum, quas pro imperatore dictaverat.*

Crebuit mihi valde est suspectum. nam primum in P erasum est *b*, ita ut *creuit* evadat. deinde vox *crebrescendi* nusquam in hac historia recurrit, *increbrescendi* legitur semel,

*) Data occasione adnotandum censeo aliquanto ante W. Heraeum (i. e. anno iam 1884) Tac. hist. 4, 42 me proposuisse 'sponte [exsc] accusa-
acc
tionem subisse' corruptelamque ex *excusationem* ortam cognovisse. cf. Sborník prací filologických (Pragae 1884) p. 53; cf. et E. Wolffii edit. Tac. hist.; nam et W. Heraeus et Andresen rem ignorare videntur.

Claud. 12, 2 gravissimus morbus increbruit. *crevit*, quod in P restitutum est et olim vulgabatur, non intellego cur spernatur. nam sensu est optimo, si quidem tunc re vera aucta est Hadriano familiaritas imperatoris Traiani. idemque verbum adseritur loquendi usu horum scriptorum; cf. Ant. Phil. 7, 2 in domo patris ita versatus, ut eius cotidie amor cresceret; Tac. 19, 1 cum tantum auctoritas amplissimi ordinis creverit; Clod. Alb. 4, 2 quae (familia) per Gallienum et Gordianos plurimum crevit; Ant. Pius 6, 4 fastigium ad summam civilitatem deduxit, unde plus crevit; Aurel. 13, 2 quibus Romana felicitas crescit; Car. 3, 1 'crevit deinde victa Carthagine'. similis sententia extat Hadr. 2, 10 'ad amicitiam Traiani pleniorem redit'. error P fortasse a *crebit* (= crevit) repetendus est; cf. Prob. 2, 2 iuuit (iubit P[1]); 2, 7 Livios (Libios P); 19, 4 novi (nobis P); 20, 6 boves (uobis P).

Hel. Ver. 4, 6: *unde apparet eum habuisse in animo alium deligere atque hunc ultimo vitae suae tempore a republica summovere. sed eius consiliis iuvit eventus. nam cum de provincia Helius redisset —, — Kalendis ipsis Ianuariis perit.*

Tradita scriptura h. l. sincera esse non potest. etenim *iuvare* cum dativo positum insolens est structura nec ullo historiae Augustae loco testata. nam ibi *iuvare (adiuvare)* tantum cum acc. coniungitur, idque sat multis locis. ipse auctor huius vitae, Aelius Spartianus, aliquotiens sic scripsit. accedit, quod *sed* prave se habet, si *iuvit* legitur. nam sic sententia existit, quae praecedentibus enuntiatis non adversatur; qua re *et* desideratur pro *sed*. sane iam multi in hoc loco offenderunt, sed vitium non persanarunt. sententiam vero prorsus aptam proposuit Vielhaber, 'sed eius consiliis praecurrit eventus' coniectando; at *praecurrit* longe distat a codicum memoria nec familiare est hoc sensu his scriptoribus, qui verbis *praeveniendi* vel *anteveniendi* utuntur; cf. Comm. 15, 2 Eclectus cubicularius — praevenit eum et factioni mortis eius interfuit; Pert. 15, 7 quod exercitibus promissum est, datum non est, quia mors eum praevenit; Alex. Sev. 26, 7 quam efficere non potuit morte praeventus; Max. duo 25, 4 ita et nuntius praeventus; Pesc. 2, 7 ut iure videretur principatum praevenisse; Aurel. 48, 3 sed multi dicunt Aurelianum, ne id faceret, praeventum; Tac. 6, 8 si te citius fata praevenerint; Prob. 10, 3 tum primum animus militibus fuit praevenire Italicos exercitus; Hadr. 2, 6 Serviani beneficiarium antevenit; Ver. 10, 5 idque cum esset — proditum —, anteventum Lucium a Faustina, ne praeveniret. ego sub *iuuit* latere suspicor *fuit* (cf. Did. Iul. 9, 2 'fuit

[i//uit P, iuit BM] autem — humanissimus') et comparativum adiectivi *celer* vel sim. excidisse, ita ut scribendum sit: 'sed eius consiliis <celerior> fuit eventus'. Hadrianus dicitur Helium a re publica summovere voluisse, sed non summovisse; nam maturior venit mors Helii.

Av. Cass. 12, 3: *nunc — vos oro atque obsecro, p. c., ut censura vestra deposita meam pietatem clementiamque servetis, immo vestram neque quemquam unum senatus occidat.*

Unum pro *ullum* P coniecit Peter (Exerc. crit. p. 3) scripsitque in sua editione; item Jordan et Eyssenhardt locum sic ediderunt. nec in alia fuit sententia Draeger (Philol. XX p. 524). sed tradita scriptura confirmatur loco Claudii Mamertini (paneg. Lat. XI 10 p. 252, 18): 'illud vero cuius miraculi est neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium'. itaque ea memoria nos stare oportebit.

Did. Iul. 2, 7: *atque ita est admissus et imperator appellatus rogantibus praetorianis, ne Sulpiciano aliquid noceret, quod imperator esse voluisset.*

Est admissus et imperator Peter scripsit pro *et admissus est imperator* P. sed *est* ex eo quo traditum est loco nihil necesse est moveri. sententia recte se habebit, si *et* transposito scripseris: 'atque ita admissus est et imperator appellatus'. de *et* in P traiecto vide Hadr. 20, 7: nam ipse et orationes (orationes et P) dictavit et ad omnia respondit.

ibid. 6, 2: *et Iulianus sperans Laetum fautorem Severi, cum per eum Commodi manus evasisset, ingratus tanto beneficio iussit eum occidi. iussit etiam Marciam una interfici.*

Pro *sperans* Gemoll (Spicil. crit. in script. hist. Aug. 1876, p. 5) *suspicans* coniecit; cuius coniecturae nulla videtur necessitas, si quidem hi scriptores verbum *sperandi* sensu latiore etiam de futuris rebus ingratis ponunt. cf. Max. duo 8, 11 tales eos contra se sperabat futuros, cum iam imperator esset; 23, 1 quare Maximinus sperans suorum ignavia bellum trahi duces suos interemit; Alex. Sev. 61, 5 at ille metu perterritus et sperans non posse se evadere; Gall. 14, 6 sperans cottidie gravem et intolerabilem tumultuarii imperatoris adventum.

Mox *Marciam una* e Mommseni coniectura scribitur pro *Marcimannum* P. sed ea lectio eo est incerta, quod *una* sensu temporali (= simul) tantum non ignorant hi scriptores

vel *pariter* vel *simul* vel *uno tempore* usi. nam solis locis Ant. Carac. 8, 4 et Heliog. 10, 1 sic vox ea usurpatur. ego cum Pert. 5, 2 *Marciam* in *Marcianum* corruptum esse in P videam, non plus quam *Marciam* l. l. latere sub *Marcimannum* P existimo et pro integra scriptura habeo: 'iussit etiam Marciam interfici'.

ibid. 6, 5: *haec cum Iulianus videret, senatum rogavit, ut virgines Vestales — praetentis infulis rogarent, inanem* <*rem*> *contra barbaros milites parans.*

Rem Peter addidit prorsus probabiliter; sed mutato ordine mallem edidisset 'rogarent, <rem> inanem — parans'. nam adiectivis plurium quam binarum syllabarum praeponere solent nudum *res* et *rem* hi scriptores; cf. Sev. 2, 3 rem domesticam; Max. duo 28, 8 res iucunda; Max. et Balb. 8, 2 rem divinam; Gall. 9, 5 rem ridiculam; 12, 5 rem tam ridiculam; Prob. 10, 6 rem invidiosissimam; Proc. 12, 8 rem ineptam et satis libidinosam; Bonos. 14, 5 rem mirabilem. constanter dicunt iidem *res militaris*, numquam inverso ordine *militaris res*, ut dixi iam Obs. p. 28. excidisse autem l. l. videtur *rem* ob similem finem antecedentis vocis 'rog*arent*'.

Vix integra est scriptura Prob. 24, 1: 'posteri Probi vel odio vel invidiae timore Romanam re<m> fugerunt et in Italia circa Veronam — larem locaverunt'. nam hi scriptores constanter dicunt *res Romana*; cf. Pert. 6, 5 rebus Romanis; Sev. 19, 6 res Romana; Val. 4, 2 rem Romanam; Trig. 33, 5 rerum Romanarum. Rösinger audacius emendat *Romanam urbem*; fortasse fuit: 'Romanam re<m p.> fugerunt'. cf. Car. 2, 1 quas varietates passa esset Romana res p.; Prob. 23, 6 aeternos thesauros haberet Romana res p.; Hadr. 4, 9 ut — principem Romanae rei p. senatus daret; Sev. 20, 2 quod — hic per se genitos (filios) rectores Romanae rei p. daret; Alex. Sev. 50, 3 ut Romanam rem p. intellegeret.

ibid. 8, 2: *deiecta sunt etiam consulta senatus.*

Consulta senatus Gronovius invenit pro *e senatus* P. mirum est quod retinetur ea scriptura ab editoribus. nam alibi iusto ordine dicunt hi scriptores *senatus consulta.* sic etiam hoc loco sane scriptum fuit deletoque *e* ante *senatus* legendum est: 'deiecta sunt etiam senatus <consulta>'. illud *e* scriba exaravit, cum 'etiam' iterare inciperet. idem vitium et aliis locis admisit, velut Av. Cass. 1, 8 omnia *ei* nostra [*e* P] displicent; Heliog. 20, 5 quod qui *e*deret, a

(*e* P) pestilentia tutus diceretur; Alex. Sev. 52, 3 nisi vestitus, armatus, calciatus, [*e* P] satur *e*t habens aliquid in zonula; Gord. 26, 5 pugnavit *e*t vicit [*ae* P] Sapore Persarum rege summoto; cf. et Liv. 45, 1, 4 *e*vanuit [*e* V] quidem — gaudium; Tac. ann. 1, 28 *a*ccepit, [*a* M] suis laboribus.

Sev. 4, 3: *in Sicilia quasi de imperio vel vates vel Caldaeos consuluisset, reus factus, sed a praefectis praetorio, quibus audiendus datus fuerat, — absolutus est.*

Sed Peter scripsit pro *est* P. hoc *est* cur mutetur nihil est causae. itaque *sed* inseri sufficit; legendum: 'reus factus est, <sed> a praefectis — absolutus est.' certe in iterato *est* nihil offendendum; cf. Hadr. 9, 3 nisus est eum obtruncare, sed revocatus est; Ant. Phil. 25, 2 sed Cassius statim interfectus est caputque eius adlatum est ad Antoninum; Comm. 2, 4 post haec consul est factus et cum patre imperator est appellatus; Pert. 15, 1 funus imaginarium ei et censorium ductum est et ab ipso Severo funebri oratione ornatus est; Op. Macr. 10, 3 Macrinus — occisus est cum Diadumeno ablatumque eius caput est; Trig. 29, 3 septimo imperii die interemptus est atque adeo etiam inter obscuros principes vix relatus est.

ibid. 15, 5: *multos etiam, quasi Caldaeos aut vates de sua salute consuluissent, interemit, praecipue suspectans unumquemque idoneum imperio, cum ipse parvulos adhuc filios haberet.*

Suspectans vulgant editores pro *suspectos* P, Casaubonum secuti. sed valde est incerta ea emendatio; nam verbum *suspectandi* nequiquam quaeras apud hos scriptores. etenim constanter illi pro eo *suspectum habere* dicunt; cf. Av. Cass. 1, 5 habitum tamen semper ducibus suspectum; Did. Iul. 5, 3 Severum descivisse, quem suspectum non habuerat; Get. 7, 8 Helvium autem etiam suspectum habuit adfectatae tyrannidis; Maxim. duo 9, 8 et dum suspectos habet amicos ac ministros eius, crudelior factus est. itaque *suspectus* tenendum videtur et lacuna verbi, quod est *habere*, statuenda. pro sincera lectione ego habeo: 'praecipue suspectum <habens> unumquemque idoneum imperio'.

Ant. Get. 4, 3: *cumque dixisset pater, ille interrogavit: 'isti habent parentes, habent propinquos?' cum responsum esset habere, ait: 'tum plures ergo in civitate tristes erunt quam laeti, quod vicimus'.*

Habere ait tum plures Peter non videtur recte scripsisse pro *haberet complures* P. nam tertio loco *ergo* hi scriptores non ponunt nisi cum duo prima sententiae verba artissime cohaerent, velut Ant. Phil. 5, 6 octavo decimo ergo aetatis anno; Pert. 5, 7 ad Palatium ergo Pertinax profectus; Gord. 12, 4 factum est ergo senatus consultum tacitum. quod cum h. l. ita non sit, desideratur 'tum ergo plures'. at nihil impedit quo minus minore conatu emendemus: 'cum responsum esset habere, tum: „plures ergo in civitate tristes erunt"'. nam post *tum* subiectum facile subauditur. cf. Max. duo 3, 3: et cum senex imperator laborasset neque ille a currendo per multa spatia desisset, ait ei: „quid vis Thracisce? numquid delectat luctari post cursum?" tum „quantum libet" inquit „imperator".

Op. Macr. 12, 4: *cum quidam milites ancillam hospitis iam diu pravi pudoris affectassent idque per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit interrogavitque, utrum esset factum.*

Idque scribitur ex Salmasii sententia pro *atque* P. sed tradita scriptura servari potest, quoniam *id* facile subauditur. cf. Alex. Sev. 48, 1 cum quidam Ovinius Camillus — rebellare voluisset tyrannidem adfectans eique nuntiatum esset ac statim probatum, ad Palatium eum rogavit; 53, 2 nam cum Antiochiam venisset ac milites lavacris muliebribus et deliciis vacarent, eique nuntiatum esset, omnes eos comprehendi iussit; Aurel. 5, 4 equus est ei imperatoris adplicitus, cui per festinationem insedit; sed ubi comperit, semet ad suum transtulit.

Diad. 3, 4: *haec <sunt>, quae de imperio sint dicenda.*

De imperio Petero debetur, in P scriptum legitur *de puero*, quod olim vulgabatur et retinendum est. nam sensu est prorsus idoneo, quia re vera scriptor de puero Diadumeno exposuit, et vindicatur praeter necessitatem loco simillimo Max. duo 29, 10: 'haec sunt, quae *de puero* sciri et dici decuit', ubi similiter narratio de filio Maximini etiam tum adulescente praecedit, et expositio ominum imperii eius sequitur. ceterum dignum est quod commemoremus concludere solere hos scriptores narrationes de singulis imperatoribus formula 'haec sunt quae de hoc imperatore sive de vita huius imperatoris comperimus (didicimus)', non 'de *imperio* huius'. cf. Hel. Ver. 7, 4, haec sunt quae de Vero Caesare

3 0112 126254710

mandanda litteris fuerunt; Av. Cass. 13, 8 haec sunt quae de Cassio Avidio comperimus; Pesc. 9, 1 haec sunt, Diocletiane maxime Augustorum, quae de Pescennio didicimus ex pluribus libris; Op. Macr. 15, 3 haec de Macrino nobis sunt cognita; Diad. 6, 1 haec sunt, quae digna memoratu in Antonino esse videantur; Heliog. 35, 1 haec sunt de Heliogabalo, cuius vitam me invitum — scribere ac tibi offerre voluisti; Gord. 21, 3 haec de Gordiano iuniore digna memoratu comperimus; Max. et Balb. 7, 7 haec de utriusque vita comperimus; 15, 3 haec sunt quae de Maximo ex Herodiano, Graeco scriptore, magna ex parte collegimus; Val. 5, 1 haec sunt digna cognitu de Valeriano; Trig. 31, 5 haec sunt quae de triginta tyrannis dicenda videbantur; Tac. 16, 5 haec sunt quae de vita Taciti atque Floriani digna memoratu comperisse me memini; Prob. 24, 6 haec sunt quae de Probo cognovimus vel quae digna memoratu aestimavimus; Proc. 13, 6 haec digna memoratu de Proculo didicisse me memini; Bon. 15, 9 haec me legisse teneo de Bonoso; Car. 10, 1 haec de Caro satis esse credo.

Ex locis, quos adtulimus, etiam illud apparet, recte a M l. l. insertum esse *sunt*, falso coniecisse Ungerum *habes quae* pro *haec quae* P et Baehrensium *haecque.* hoc *haecque* etiam eo refutatur, quod hi scriptores excepto *tuncque* (Ant. Phil. 7, 6; Comm. 6, 9; 6, 12; Did. Iul. 7, 11; Sev. 12, 4; Op. Macr. 3, 1; Alex. Sev. 39, 7; 54, 5; Trig. 12, 2*)) et *sicque* (Alex. Sev. 35, 6) voci in *c* exeunti *que* non adplicuerunt.

Heliog. 23, 7: *marinae aquae colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maxime, eosdemque singulis amicis natantibus dimisit et iterum c u m piscibus implevit.*

Cum non videtur genuinum, sed e dittographia *iterum rum* ortum.**) nam aliis locis ablativus solus iungitur, ut par est, cum verbis similibus. cf. Claud. 9, 4 impletae barbaris servis Scythicisque cultoribus Romanae provinciae; Hel. 5, 7 eumque (lectum) foliis rosae — replebat; Op. Macr. 1, 5 libros mythistoriis replevit; 3, 1 quae dea repleta solet vera canere; Heliog. 20, 6 exhibuit et *patinas* (sic ego emendavi List. fil. 1884 p. 199; *palatinis* P) ingentes extis mulorum refertas; Alex. Sev. 37, 11 cibo plurimo referciebatur;

*) Nusquam legitur *tumque.* quare Alex. Sev. 55, 3 praetulerim: '*tuncque* (*cumque* P, *tumque* vg) primum servi Persae — fuerunt'. accedit quod *tuncque primum* septem locis hist. Aug. scriptum invenitur. dubius est locus octavus, Alex. Sev. 54, 5 tunc primum (tunc privatum P, tunc privatim Peter) intellectum est.

**) Cf. etiam mea In paneg. lat. studia gramm. et crit. p. 43.